



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Epistolæ duæ Alexandri III. pro Guinardo Comite Ruscinonensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

*EPISTOLÆ DVÆ ALEXANDRI  
III. Papæ pro Guinardo Comite  
Ruscinonensi.*

**A**lexander Episcopus servus servorum Dei di- Anno 1165.  
lecto filio nobili viro G. Comiti de Rossilione  
salutem & apostolicam benedictionem. Nobiles &  
illustres personæ quanto se beato Petro & nobis ma-  
jori devotione subjiciunt, tanto eas Romana Eccle-  
sia arctiori consuevit caritate diligere & in justitiis &  
honoribus suis propensiùs confovere. Eapropter tuæ  
devotionis obtentu, & dilecti filij nobilis viri Tren-  
cavel avunculi tui precibus inclinati, terram quæ te  
hereditario jure contingit, nulla tibi quæstione ab  
adultera vel ejus filio facta, tibi auctoritate apostoli-  
ca confirmamus & præsentis scripti patrocinio com-  
munimus, statuentes ut nulli unquam viro vel femi-  
næ liceat tibi paternam hereditatem contra justitiam  
auferre vel illicitè perturbare. Si quis autem hoc te-  
merè attentare præsumperit, indignationem omni-  
potentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolo-  
rum ejus se noverit incursum. Datum apud Mon-  
tempessulanum x iv. Kal. Septembbris.

## A L I A.

**A**lexander Episcopus servus servorum Dei ve-  
nerabilibus fratribus Pontio Narbonensi &  
Hug. Tarragonensi Archiepiscopis, Helenensi quo-  
que & Gerundensi Episcopis, salutem & apostolicam  
benedictionem. Suggestum nobis est & certa quasi  
relatione monstratum quòd pater nobilis viri G.  
Comitis de Rossilione, legitima uxore dimissa, sibi

P ij

aliam per adulterium copulavit. Vnde tam ipse quam  
ejus adultera anathematis meruerunt vinculis inno-  
dari; &, sicut credimus, antecessor noster boni  
memoriae Eugenius Papa prohibuit ne filij qui ex  
adultera susciperentur, in paternam succederent he-  
reditatem. Ceterum quoniam secundum legum sta-  
tuta filius est quem legitimae nuptiae demonstrant,  
nec filius sed spurius dicitur qui de adulterio nasci-  
tur, fraternitati vestrae per apostolica scripta man-  
damus quatinus ne illi jure successionis vel adultera  
aliquid de supra scripta hereditate ratione donatio-  
nis propter nuptias sibi vindicent, districtius pro-  
hibeatis, & hoc fieri nullatenus permittatis, & si  
quis eidem G. super hoc injuriam vel molestiam  
inferre presumperit, cum ad vos inde querela per-  
venerit, debitam de eo & plenam justitiam facias.  
Datum apud Montempessulanum xiv. Kal. Sep-  
tembris.

*HENRICI ARCHIEPISCOPI  
Remensis epistola increpatoria ad Cardina-  
les Romanæ Ecclesiæ in causa Drogonis Can-  
cellarij Noviomensis.*

Anno 1170.

**R**Everendis in Christo Patribus Episcopis &  
Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ filiis  
Henricus Remorum dictus Archiepiscopus salutem  
& reverentiam. Non sine admiratione multa & ani-  
mi concussione recenseo quod apud vos nec gratiam  
meretur obsequium, nec amor vicissitudinem, nec  
humilitas adjumentum. Si vos in summo rerum car-  
dine divina miseratio collocavit, non sibi contraria  
sed voluntati suæ similia quærerit à suis professoribus  
exerceri. Ipse qui dicit, *Ego diligentes me diligo,*